



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet**

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &  
Festos, ab ipso Auctore confectus

**Stengel, Georg**

**Ingolstadii, 1651**

2. Iudæi Christum non agnoscentes, in pœnam nec cladis suæ nuntios  
agnouerunt.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45699**

mala inuaserint Iudæos, indagant, dum alij Iudæorum id rebellionis, alij idololatrijs tribuunt; Iosephus tradit, existimatum ob necem illatam Iacobo Iusto, tanta mala Iudæos apprehendisse; qui tamen, ante illum, jam & alios sanctissimos viros ac Prophetas occiderant ad se missos, nullam ob id talem tantamque vindictam experti. Ex Euangelij vaticinijs, SS. Patrum attestatione, & immanitate ac similitudine pœnarum constat, nullum, nisi illud maximum omnium & maximè execrandum facinus, esse, cui ex calamitates potius ascribi possint, nisi quod in Dei Filium, tot oraculis Prophetarum testatum, tot miraculis illustratum, tot testimonijs declaratum, ante annos triginta octo immanissimè commiserunt: quem quia pluribus iniurijs affectum occiderunt, pluribus quoque plagis sunt castigati, & quidem manifestam similitudinem præ se ferentibus, cum ijs malis, quæ Messia suo intulere, vt vera fieret illa prædictio: *In qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis.*

I. Igitur, sicut olim omnia in figura contingebant Iudæis, & Prophetæ atque Patriarchæ Christum venturum prædixerunt, vt Iudæi nullam habere possent excusationem, quod eum non agnoscerent, ea de causa, Christo dicente: *Scrutamini Scripturas, quia vos putatis in ipsis vitam aeternam habere: & illa sunt, quæ testimonium perhibent de me: & non vultis venire ad me, vt vitam habeatis:* Ita, etiam postquam Iudæi Christum crucifixerunt, non eos statim puniuit Deus, sed per triginta octo annos eorum pœnitentiam expectauit, eosque vt pœnitentiam agerent, seridè præmonuit. Siquidè, per integrum annum, terribilis flammæ cometa gladio similis, supra Ierusalem stetit. Visi sunt etiam in aère igniti currus & infestæ acies proeliantium. Audita est quoque in templo formidanda quædam vox Angelorum clamantium: *Migremus hinc.* Et Iesus quidam Anani filius, per septennium totum & aliquot menses, assidue per omnes vbiq; vicos & plateas clamitans: *Va Hierosolymis, nec minis, nec flagris compesci potuit, vt ita non clamitaret; donec tandem in ipso ciuitatis muro insanè vociferans: Va Hierosolymis, & mihi,* tormenti hostilis lapide ictus interiit. Hunc ergo (sicut quondam ad Niniuitas Ionam) sicut & alia prodigia, ad præmonendam gentem illam misit Deus: sed frustra; non enim ob-

lib 5. hist.  
Sueton. Plu-  
tarch. Dio  
Phlegon, Ha-  
driani liber.  
tus. Cæsar  
Baron. An.  
Christi 72.

Matth 72.

II.  
1. Cor. 10. 11.

Ioan. 5. 39.

Ioseph. lib 7.  
cap. 12.



stinata corda peccatum suum voluerunt agnoscere, neque poenitentiam egerunt; sicut neque quondam, Noë diluuium Mundo prædicante; immo sicut neque ipso Christo super Hierusalem stente. Neque enim ille discipulis suis dumtaxat eam cladem prædixit, quibus & causam, & tempus horum malorum reseruit dicens:

Luc. 21.

*Amen dico vobis, quia non præteribit generatio hæc, donec omnia fiant (& vidit sanè illa omnia ea ætas & generatio, quæ ab illo prædicta sunt, quippe non nisi triginta octo annorum spatium intercessit)*

Luc: 19. 41.

*verùm etiam quando sollemni pompa & triumpho Ierosolymam intrauit, coram Pharisæis & omni turba, ut appropinquauit, videns ciuitatem fleuit super illam, dicens: Quia si cognouisses & tu, & quidem in hac die tua, quæ ad pacem tibi: nunc autem abscondita sunt ab oculis tuis. Quia venient dies in te, & circumdabunt te inimici tui vallo, & circumdabunt te: & coangustabunt te undiq; &c.*

Lactant. l. 4. cap. 21.

*Monuit Christus hæc apertè; monuerunt & Apostoli, nam, ut Lactantij verbis utar, futura aperuit illis omnia, quæ Petrus & Paulus Rome prædicauerunt: & ea prædicatio in memoria scripta permansit; in qua cum multa alia mira, tum etiam hoc futurum dixerunt, ut post breue tempus immitteret Deus regem, qui expugnaret Iudæos, & ciuitates eorum solo aquaret, ipsos autem fame sitiq; confectos obsideret. Tum fore, ut corporibus suorum vescerentur, & consumerent se inuicem: postremò ut capti venirent in manus hostium, & in conspectu suo acerbissimè coniuges suas vexari cernerent, violari & prostitui virgines, diripi pueros, allidi paruulos, omnia denique ferro igniq; vastari, captiuos in perpetuum terris suis exterminari: eò quòd exultauerant super amantissimum & probatissimum Filium Dei. At dura gens Iudæorum, vti Prophetias de Christo cæca mente non agnouit, ita neque Christi aut Apostolorum prædictionibus credidit, neque signis de cælo missis adhibuit fidem. Quemadmodum multi etiam hodie peccatores à Deo, ab Angelis, ab hominibus, à propria conscientia moniti, obsurdescunt. Quidquid illis dicas, non ad aures, non ad animum admittunt: induruerunt non secus, ac si lapidi loquereris. Vt ergo isti tales Deum à se excludunt, ita vicissim cum clamitant ad eum in extrema necessitate merentur non exaudiri. Quod prædixit illis verbis: *In qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis.**

III.

2. Quia Iudæi ingressum mitissimè Saluatorem, de quo dictum